Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 985
Quelle:
Copyright:

divisa, et ex Evangelii Patrumque *Isidori*, *Ambrosii*, *Augustini*, *Coelestini* Papae, *Johannis Chrys. Gregorii* et *Cypriani* Dictis conflata, cujus Art. I. inscribitur: *De Babtismi Precepto in Euangelio*; ultimus vero, postquam de singulis Baptismi Ritibus actum fuisset, *De Pedum Nuditate*. Accedit alia ejusdem argumenti brevis Descriptio insignita: *Item Ratio De Sacro Babtismatae*, et Examen, quod hunc titulum praefert: *Incipiunt Questiones De Rudimentis Caticuminorum Uel Eorum Qui Ad Gratiam Baptismi Diuina Inspirante Clementia Uocandi sunt.* Initium: Interrogatio. *Primum quero a te quare caticuminus uocetur et qua lingua dicatur.* Responsio. *greca.* Int. *Latine quid interpretatur.* Resp. *Audiens uel auditor.* &c. Definit in Vocis *Alleluia* interpretatione, videlicet, *Alle* Pater *Lu* Filius *Ja* Spiritus sanctus. Quid ad haec Hebraeus?

III. *fol.* 45. *Epistolae* (sic) *Formatarum. Incipiunt Formata Epistolarum.* Initium: *Greca elementa litterarum numeros etiam exprimere* &c. *Attici CPolitani* verba sunt, ut dictum ad *Cod.* DCCCXXVIII. N. 23. et 24. Addita vero hic sunt Exempla tria ejusmodi *Formatarum*, quorum primo Monachus, altero Presbyter, tertio in Ordinibus minoribus constitutus commendatur. Primum *Johannis Arelatensis* Archiep. ad *Nebridium* quendam Archiep. nomen praefert, addito Anno DCXIIII. qui nisi in mendo cubat, anteriorem fuisse oportet *Johannem* aliquem *Arelatensem* illo, qui T. I. *Galliae Christ. col.* 542. ad an. DCLVIII. *Primus* statuitur.

CCLXXIV.

VII F. 13
Theol. 434 = (Tab.:) 806

Codex membraneus lat. Sec. partim X. partim XII. partim XIII. Folior. 195. 4. sat nitide scriptus, rubricis distinctus et olim *κτημα Fratrum Monasterii Hegenensis* (Hayne) *Canonicor. regular. ordinis augustini Worm. dyoc. prope Castrum Altelyningen* plura bonae Notae continet, quae exponimus: I. Praevia rudi *Christi* inter IV. *Evangelistarum* Symbola sedentis pictura lineari *Incipit Liber Officiorum Sancti Isidori Episcopi Spaniensis.* Praefatio: *Domino meo et dei seruo fulgentio episcopo. isidorus episcopus. Quaeris a me originem officiorum* &c. Nihil diversum ab Editione *Jac. Du Breul Paris.* 1601. p. 580. praeter *scriptis uetustissimis auctorum* pro *uetustissimorum authorum.* Praefationem excipit Elenchus *Capitum*, ut in Edit. nisi quod c. 13. *de Alleluja* inscribatur *de Laudibus*, et c. 43. *de vario Usu Ecclesiarum* prave *de uario usu escarum.* Textus porro ipse saepe non inepte ab Edit. discrepat, ut adeo conferri totus mereretur. En specimina! C. 1. edit. *quia per universum mundum est instituta: vel Catholica, quia vniversalis in ea doctrina est ad institutionem hominum de visibilibus rebus coelestium ac terrestrium.*